A. G. BAUMGARTEN

AESTHETICAE IN DISCIPLINAE FORMAM
REDACTAE PARENS ET AUCTOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPSIT

CAROLUS RAABE
PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ROSTOCHII.
TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.
MDCCCLXXIII.

Vorwort.

Alexander Gottlieb Baumgarten (1714—1762) hat das Verdienst, Vater der deutschen Aesthetik zu sein. Den von ihm gemachten Fortschritt von Einzeluntersuchungen über schöne Gegenstände zu einer Wissenschaft vom Schönen wird keiner unterschätzen, der bedenkt, dass durch ihn der Philosophie der Ausblick in ein neu entdecktes Land zuerst eröffnet worden ist. Schon dadurch also, überhaupt Vater der deutschen Aesthetik zu sein, hätte Baumgarten sich ein grosses Verdienst erworben, selbst wenn das neugeborne Kind die augenfälligsten Spuren der Kindheit an sich trüge und sein Versuch einer Lehre vom Schönen ein sehr bescheidener wäre. — Sein Verdienst steigt, wenn sich nachweisen lässt, dass in dem Kinde doch schon die entwicklungsfähigen Momente der späteren Ausbildung der Wissenschaft keimartig beschlossen liegen, wenn sich die Fäden aufdecken lassen, durch die die spätere Entwicklung der Aesthetik an ihren Knotenpunkten (Kant und Hegel) mit Baumgarten zusammenhängt. Neuere Historiker der Aesthetik schlagen diese Einwirkung Baumgartens auf die Späteren sehr gering an und blicken darum nicht selten mit einem Anflug vornehmer Geringschätzung auf Baumgarten herab. Wie mir scheint, sehr mit Unrecht.

Der Versuch, Baumgarten's Verdienst um die deutsche Aesthetik nach der einen, wie der andern Seite klar in's Licht zu stellen, ist hier gemacht worden — in der bescheidenen Weise der Untersuchung, die weniger den Anspruch der Neuheit, als den der Gerechtigkeit erhebt.

Der Verfasser.

Quamvis inde ab Aristotelis temporibus usque ad Leibnitii aetatem multi homines docti erudite ac copiose disputaverint cum de pulchri natura tum de singulis artibus, tamen ipsa scientia aesthetica proximo demum saeculo provenit. Primus firma aestheticae fundamenta jecit A. G. Baumgartenius, qui ea de causa jure parens et auctor aestheticae in disciplinae formam redactae vocatur. Cujus parens non potest is nominari, qui forte primus de nonnullis rebus, quae ad pulchrum pertinent, disseruit, neque is, qui in libris de arte poëtica aut de universa pulchri natura scriptis omnes quas posuit leges deduxit ex artium monumentis ex antiquitate servatis: hoc nomine is solus dignus videtur, qui certis artis praeceptis ex ipsa pulchri natura derivatis disciplinae aestheticae non solum fundamenta posuerit, sed etiam docuerit, qua via et ratione singulae artes ex istis principiis necessitate quadam insita deducantur. Id vero primus fecit A. G. Baumgartenius, Wolfianae philosophiae sectator. Summam totius aestheticae breviter adumbraverat „meditationibus philosophicis de nonnullis ad poema pertinentibus“ (Halis, 1735.); ipsum aestheticae systema accuratissime elaboratum edere coepit annis 1750—58, sed morbo gravissimo prohibitus non ad finem perduxit, sed mancum reliquit. Is quam bene ea re de Germanorum aesthetica meruerit, data occasione aliquid literis mandandi pro nostra virili parte, quantula ea cunque est, breviter illustrabimus. Quod ut assequamur, primum capita exponemus, quibus nitatur Baumgartenii aesthetica; quo facto facile erit intellectu, quatenus Baumgartenius his ipsis fundamentis praecursor et quasi dux aestheticae tum Kantianae tum hodiernae habendus sit. —

I.

Quantum valuerit aesthetica Baumgartenii ad naturam pulchri cognoscendam, luculentissime apparebit, si primum contemplati fuerimus, quomodo ei egerint, qui antea eandem rem tractaverunt. Nam initio ejusdem saeculi, quo Baumgartenius exstitit, plures erant, qui quaestiones de pulchri natura instituerent.[1]) Sed ei omnes spectaverant eas solas artes, quibus verbo pulchrum exprimitur, poëticam et rhetoricam; quin plurimi de sola arte poëtica regulas proposuerunt. Quas multis illustrare solebant exemplis ab antiquis carminibus repetitis; qua re factum est, ut „omnes hae institutiones in meram aliquam coordinationem ac dispositionem regularum abirent.“ (Baumg.) Accedebat, quod hae ipsae regulae saepissime falsae erant, cum illi critici perperam judicarent de eis, quae in antiquis carminibus vere pulchra inessent. Nemo fere surgendo ad fontes et pulchritudinis et cognitionis utriusque naturam cognoscere studuit. Qui vero id volebant, pulchrum ex universa animi humani natura, non e certa ejus facultate sive vi deduxerunt. Inde judicaverunt, pulchrum eisdem psychologiae et logicae legibus regi ac bonum et verum. Quo factum est, ut illa aetate nec religionis neque ethicae neque artium liberalium certi fines constituerentur, et aestheticae definitiones mirum in modum etiam in alias philosophiae disciplinas caderent. Contra primus Baumgartenius ea, quae continentur pulchro, separavit ab eis, quae continentur vero et bono, et homini proprias animi facultates aestheticas inesse statuit, quae legibus ex ipsarum natura deducendis regerentur. Id bene tenendum est, cum ea ipsa re antecellat omnibus, qui ante eum de pulchri natura scripserunt, et una omnes quaestiones de cognitionis natura postea institutas moverit. Utrum ipse recta progressus sit via necne, hic non quaeritur.

Baumgartenius quaestiones de pulchro instituit sequens principia philosophiae Leibnitio-Wolfianae. Leibnitius sibi persuaserat, mundum ex innumerabili monadum copia exstructum esse, quarum unaquaeque universas res velut speculo repraesentet („miroir vivant“). Deum solum, summam monadem,

repraesentare res summa cognitionis claritate; ceteras monades quaedam percipere perspicue, quaedam obscure. Hominem vero, quippe inter summam monadem et imperfectas monades interpositum, pari modo lucis et umbrae participem esse: cognoscere quaedam obscure, quaedam dilucide. Inde facile effecerat, omnia quae cogitarentur, non eodem tempore, quo orerentur, eadem perfecta esse in animo, sed cum orta essent, e statu animi plane obscuro peragrare statum minus obscurum (— „clair-obscur" —) et paulatim demum dilucida et distincta fieri, („ex nocte per auroram meridies"), ita ut animus res perfecte i. e. et formam et ordinem et consensum rerum cognosceret. Antea vero, priusquam animus ad hunc supremum gradum pervenisset, eum, cum versaretur in habitu, qui et lucis et obscuritatis particeps esset, res nondum distincte cognoscere, sed confuso et obscuro modo percipere consensum quendam externum, percipere formam rerum. Quibus psychologiae fundamentis Leibnitii philosophia maxime differt et a Kantiana et ab Hegeliana. Leibnitius enim ea, quae distincte cogitarentur, ab eis, quae confuse sensibus perciperentur, non differre specie, sed solum gradu censuit, ita ut ea, quae modo confuse percepta essent, eo surgere possent, ut cogitarentur: Kantius ea specie plane diversa esse et ad facultates animi plane diversas pertinere statuit. Paulatim philosophi, qui Leibnitium secuti sunt, hanc „cognitionem sensitivam", quam despicientes interdum carnem vocaverunt ut inferiorem, contempserunt atque adeo eam debellandam potius, quam excitandam et confirmandam esse censuerunt. Inde enim exoriri confusionem, et cum confusio mater erroris esset, inferiorem cognitionis partem indignam esse philosophis. Cum theologi, qui illa aetate multum valuerunt, omnia, quae ad sensus pertinerent, aversarentur, facillime fieri poterat, ut etiam philosophi ad eandem delaberentur sententiam. Ipse Wolfius hanc totam cognitionis partem incultam reliquit. Quam lacunam cum vidisset Baumgartenius, hinc quaestiones suas instituit. Is in universum Leibnitii sententiam secutus in metaphysica sua (§. 519.) facultates mentis humanae ita deducit: „anima mea

cognoscit quaedam, ergo habet facultatem cognoscitivam; anima mea quaedam cognoscit obscure, quaedam confuse cognoscit: jam ceteris paribus percipiens rem eamque diversam ab aliis, plus percipit, quam percipiens rem, sed non distinguens. Ergo ceteris paribus cognitio clarior major est, quam obscura. Haec obscuritas minor, claritas major cognitionis gradus est et eandem ob rationem confusio minor sive inferior, distinctio major sive superior. Unde facultas obscure confuseque seu indistincte aliquid cognoscendi cognoscitiva inferior est.“ Inde consequitur, ut anima habeat „facultatem cognoscitivam inferiorem“; et ea quidem minime contemnenda esse Baumgartenio videtur. Nam perceptionem confusam esse conditionem, sine qua non, inveniendae veritatis dicit, cum natura non faciat saltum ex obscuritate in distinctionem. Ne vero errores inde existant, facultates animi inferiores emendandas esse. Hoc aestheticae esse voluit. Facultates animi cognoscitivas inferiores vocat aestheticas eisque pulchrum percipi censet. Cujus rei causa ex ipsa Wolfiana philosophia repetenda videtur. Wolfius omnem cognitionem aut sensitivam aut intellectualem esse posuerat. Priusquam autem ipsa cognitio effici posset et ipsae philosophiae partes exstrui possent, fundamenta cognitionis examinanda et leges de recto eorum usu ferendas esse statuerat. Quam disciplinam ipse „gnoseologiam sive scientiam cognitionis in genere, sive logicam latiore significatu“ vocavit.[2]) Cum autem ipse Wolfius alteram tantum illius disciplinae partem, quam nos dicimus logicam, perfecisset fundamentis facultatum intellectualium examinatis legibusque eorum propositis, Baumgartenius scientiam cognitionis sensitivae, aestheticam sibi tractandam sumpsit. Quomodo ad eam disciplinam perductus sit, optime intellegitur ex loco dissertationis, quam supra attulimus, ubi est (§. 115.): „Philosophia poëtica est scientia ad perfectionem dirigens orationem sensitivam. Cum vero in loquendo repraesentationes eas habeamus, quas communicamus, supponit philosophia poëtica facultatem in poëta sensitivam inferiorem. Haec in sensitive cognoscendis rebus dirigenda quidem esset

per logicam sensu generaliore, sed qui nostram scit logicam, quam incultus hic ager sit, non nesciet. Quid si ergo, quos arctiores in fines reapse includitur logica — etiam per ipsam definitionem in eosdem redigeretur, habita pro scientia vel philosophice aliquid cognoscendi, vel facultatem cognoscitivam superiorem dirigente in cognoscenda veritate? Tunc enim daretur occasio philosophis non sine lucro inquirendi in ea etiam artificia, quibus inferiores cognoscendi facultates expoliri possent et acui, et ad emolumentum orbis felicius adhiberi. Cum psychologia det firma principia, nulli dubitamus scientiam dari posse, facultatem cognoscitivam inferiorem quae dirigat, aut scientiam sensitive quid cognoscendi." Quod tum quidem nondum satis luculenter perspexerat, id paulo post planius exposuit, cum facultatis cognoscitivae inferioris e propria ejus natura proprias leges deducere studeret. Cui disciplinae nomen indidit aestheticae. Inde definitio ejus (§. 1.): aesthetica (theoria liberalium artium, gnoseologia inferior, ars pulchre cogitandi, ars analogi rationis) est scientia cognitionis sensitivae." —

Baumgartenius aestheticam duplicem esse proponit, alteram theoreticam, docentem, generalem, alteram practicam, utentem, specialem. Aestheticae theoreticae primum esse docere, quae cognitiones sensitivae per se sint perfectae i. e. pulchrae. Deinde ei statuendum est, qui ordo cogitationum per se pulchrarum sit pulcher, denique, quae signa rerum et pulchre cogitatarum et dispositarum sint pulchra. Sic aesthetica theoretica tres continet partes, heuristicam, methodologiam, semioticam. Nihilominus ipse Baumgartenius unam heuristicam tractavit omissis reliquis partibus. Meierus quoque philosophus, qui disciplinam secutus, ut ita dicam, magistri verba interpretatus est, nunquam disseruit de aesthetica practica i. e. de singulis artibus. —

Hoc loco non alienum esse videtur, nonnulla de Baumgartenii aesthetica universa praefari, priusquam ipsa ejus capita de pulchro posita exponamus. Baumgartenius pulchritudinem esse cognitionem sensitivam perfectam definit.

Quam definitionem non ad unam tantum artem, ad poëticam, spectare, sed amplificatis singularum artium notionibus omnes artes pari modo complecti putabat. Nam in aestheticae prolegomenorum §. 5. dicit haec: „objici posset, nostrae scientiae, eam eandem esse cum rhetorica et poëtica. Resp. a) latius patet. b) complectitur his cum aliis artibus, ac inter se communia, quibus hic loco convenienti semel perspectis quaelibet ars sine tautologiis inutilibus suum fundum felicius colat.“ Addit §. 69.: „Quicquid de earum (sc. singularum artium rhetoricae, poëticae, musicae) jucunditate, utilitate, necessitate, disseri solet, paululum attollendo nationes in magis generalia potest ad artem aestheticam applicari.“ Sequitur §. 71: „Artis autem aestheticae leges per omnes artes liberales, quasi cynosura quaedam specialium, diffunduntur, et adhuc patentiorem sphaeram habent, ubicunque praestat pulchre quam turpiter quicquam cognoscere, cujus non opus est cognitione scientifica. Hinc magis atque ulla specialium meretur in formam artis redigi, completius quoddam systema pulchritudinis in cognoscendo tandem exhibitura ac sejuncta deducendarum ex eadem artium ἀποσπασματία. Completi quid in specialibus ob infinitam varietatem sperari non potest, *nisi surgendo ad fontes et pulchritudinis et cognitionis, ad utriusque naturam*, primas utriusque divisiones divisa ob principium exclusi tertii inter duo contradictoria exhaurientes scrutemur, quod fiet aestheticam artem in formam scientiae redigendo.“ His verbis Baumgartenius aperte exposuit, quid in aesthetica elaboranda sibi proposuerit: id agit, ut surgendo ad fontes et pulchritudinis et cognitionis naturam earum universam perscrutetur et leges ferat generales, quae in omnes singulas artes pari modo cadant. Sed quamvis Baumgartenius dilucidis verbis identidem contendat, in aesthetica non solum artem poëticam et rhetoricam, sed omnes artes respici, tamen et inter aequales ejus fuerunt et nunc sunt, qui id factum esse negent.[3]) Id jure eos negare omnes concedent, qui vel obiter librum ejus perlegerint. Quae Baumgartenius nonnullis locis etiam de reliquis artibus

inserit (cf. locum, quo de justa lucis et umbrae dispensatione agit §. 686. u. 687.), eis non alia de causa utitur, nisi ut ea, quae de poesi et oratione dixerit, illustret. Deinde omnia exempla illustrantia repetit a Romanorum poëtis et oratoribus, quod facere non debebat, si omnes complexurus fuisset artes. Tum, quod gravissimum est, definitionem, quam de pulchri natura posuit, ad solam poëticam et rhetoricam tendere facile est intellectu. Quod enim pulchritudinem in consensu et cogitationum et ordinis et signorum positam esse dicit, non alias res pulchras nisi pulchra carmina et orationes spectat. Non enim, ut hoc unum afferamus, intellegitur, quomodo in pulchra statua lucidus cogitationum ordo esse possit. Denique omnes illae de pulchro efficiendo leges, quas maxima libri pars continet, id tantum agunt, ut p o ë t a s et o r a t o r e s doceant de elegantia dictionis et elocutionis et actionis (cf. §. 20.). Non vero crediderim, Baumgartenium utpote philosophum accuratissimum neglegentia id, quod sibi proposuerat, omisisse perficere. Potius hujus rei causa ea videtur fuisse, quod in reliquis artibus liberalibus magis rudis fuit. Ceterum, utrum in parte aesthetica practica nihilominus etiam reliquas artes ex fundamentis positis aliquo modo deducere potuerit necne discerni non potest, cum opus perficere morte prohibitus sit. Sed non potuisse videtur, si quidem omnes definitionis partes tenere voluisset.

Jam si omnia, quae de universa Baumgartenii aesthetica huiusque diximus, complectimur, Baumgartenium eis, qui antea de pulchro quaestiones instituerant, duabus rebus excellere apparet, primum quod pulchrum et ad certas animi facultates referendum esse et propriis illarum legibus regi invenit, deinde quod primus omnium accurate exposuit, quid aesthetica contineri necesse sit. Quamvis Baumgartenius quod aestheticae esse proposuit, ipse non plane perfecerit, tamen eum de aesthetica optime meruisse nemo negabit. —

Jam quaeritur, quid p u l c h r u m e s s e posuerit. Quae Baumgartenii sententia de ea re fuerit, difficile intellegitur, cum eas ipsas libri partes, quae de universa pulchri natura

agunt, obscurius et abstrusius scripserit. Si vero quis omnia circumspexerit, eum in natura pulchri exponenda duplicem rationem secutum esse inveniet: primum de pulchro in universum disserere et demonstrare, pulchrum id esse, quod sensibus perfectum esse videatur (§. 14.—27.); deinde plurimis exponere, qualis hominis dispositio esse debeat et quae ei observanda sint, ut pulchrum efficere possit. Primum igitur id spectat, quomodo facultates inferiores percipiant pulchrum, deinde quatenus earum auxilio pulchrum efficiatur. Ut Baumgartenii sententiam luculente perspiciamus, utraque via eum sequemur, et primum quidem exponemus, quid de pulchro percipiendo dixerit.

Pertinent hunc ad locum e Baumgartenii verbis inprimis haec: „cognitio sensitiva est a potiori desumta denominatione complexus repraesentationum infra distinctionem subsistentium. — Pulchritudo cognitionis sensitivae erit universalis I. consensus cogitationum quatenus adhuc ab earum ordine et signis abstrahimus inter se ad unum, qui phaenomenon sit. Pulchritudo rerum et cogitationum distinguenda a pulchritudine cognitionis, cujus prima et primaria pars est, et pulchritudine objectorum et materiae, quacum ob receptum rei significatum saepe, sed male confunditur. Pulchritudo cognitionis sensitivae universalis, quia nulla perfectio sine ordine est, II. consensus ordinis est, quo res pulchre cogitatas meditemur, et internus et cum rebus, phaenomenon, pulchritudo ordinis et dispositionis. Pulchritudo cognitionis sensitivae universalis est, quia signata non percipimus sine signis III. consensus signorum internus, et cum ordine et cum rebus, phaenomenon, pulchritudo significationis, qualis dictio et elocutio, quando signum est oratio sive sermo, et simul actio, quando sermo viva voce habetur. Habes tres cognitionis gratias catholicas.“ Haetenus Baumgartenius. Nostrum est interpretari, quid sibi velint haec verba. Primum quidem verba „cognitio sensitiva est complexus repraesentationum“ hoc dicunt: sensu percipimus varias res et hoc modo facultates animi inferiores complexum repraesentationum recipiunt. Notanda est vocis „repraesentationis“

vis. Repraesentationem Baumgartenius non eandem esse vult atque imaginationem (facultatem fingendi aut ipsa ficta), sed repraesentatio rei est ea imago, quam res percepta in animo relinquit.[4]) — Quodsi in repraesentationum complexu est consensus quidam cogitationis, ordinis, signorum, cognitio sensitiva est pulchra. Aliis verbis idem exprimit Baumgartenius §. 14., ubi est: „aesthetices finis est perfectio cognitionis sensitivae, qua talis. Haec autem (perfectio cognitionis sensitivae) est pulchritudo,“ sive eis omissis, quae non ad hunc locum pertinent: „perfectio cognitionis sensitivae s. cognitio sensitiva perfecta est pulchra.“ Eandem sententiam Baumgartenius jam anno 1735 in meditationibus de nonnullis ad poema pertinentibus statuerat, ubi, cum de carminum natura disserat „poema sensitivam orationem perfectam esse“ dicit. Quam definitionem Baumgartenius ab una arte ad omnes artes „attollendo notiones in magis generalia“ transferebat, eaque universam pulchri naturam significatam esse censebat. Ceterum quod notandum est, Baumgartenius pulchritudinem dicit cognitionem perfectam sensitivam, non cognitionem perfecte sensitivam. Id magni momenti est ad sententiam ejus recte intellegendam.[5]) — Duplici ratione idem Baumgartenius expressisse, metaphysica ejus (§. 95.) intellegitur, ubi perfectionem definit: „Si plura simul sumta unius rationem sufficientem constituunt, consentiunt. Consensus ipse est perfectio, et unum, in quod consentitur, ratio perfectionis determinans.“ Unde apparet, utraque definitione eandem effici sententiam, quae est in metaphysicae §. 66.: „perfectio phaenomenon sive gustui latius dicto observabilis, est pulchritudo, imperfectio phaenomenon, sive gustui latius dicto observabilis, est deformitas. Hinc pulchrum ut tale intuentem delectat, deforme ut tale, intuenti molestum est.“ —

Jam restat, ut examinemus, quid Baumgartenii definitiones valeant ad pulchri naturam explicandam. Dixerit quispiam, eum pulchri naturam perspexisse eandem atque aestheticos nostrae aetatis. Nam „perfectio phaenomenon“ idem ignificare videtur atque idea, quae e materia sibi

efficiat formam, ita ut Baumgartenius dicere videatur, ideam materiae insitam sive immanentem vi sua materiam eo modo fingere vel potius effingere, ut ipsa in omnibus rei ita effectae partibus externis expressa cernatur. Utramque igitur pulchri notionem, quam hodie aesthetici ponunt, pulchrum esse imaginem ideam adaequantem quatenus percipiatur animo, complecti videtur Baumgartenii definitio: objectivam et subjectivam. Sed hanc verborum interpretationem non rectam esse unusquisque intelleget, si utramque notionem diligentius examinaverit.

Primum quidem objectiva Baumgartenii notio minime idem significat atque ea, quam aesthetica hodierna ponit. Nam philosophia Leibnitio-Wolfiana, a qua Baumgartenius erat, nondum veram ideae naturam cognoverat neque perspexerat, quomodo idea absoluta et singulae res inter se conjunctae essent. Notio perfectionis apud Wolfium multo aliam habet vim. Perfectam dicebat eam rem, quae certo quodam consilio ab artifice effecta esset, in qua „omnes partes simul sumtae ad hoc artificis consilium consentirent.“ Idea igitur non est vis materiae insita (immanens), quae materiam effingit suo ipsius motu, sed ab alio ad materiam affertur, materia secundum hanc ideam ab artifice effingitur. Ad materiam (ὕλη, ἐξ οὗ) causa formalis (causa formans, forma) ab aliquo adhibetur et omnes partes ad certum quendam finem effinguntur. Quod Wolfius etiam ad mundum transtulit, cum deum, qui in coelo habitet, notiones rerum in animo suo informatas habere et omnes res secundum has notiones fingere dicat. Itaque nec Wolfius, nec Wolfiani res pulchras ullo modo ab eis distinguere potuerunt, quae tantum ad certum quoddam consilium constructae essent. Notiones autem rerum non solum aliunde ad materiam adhibentur, sed hae ipsae notiones sola utilitate reguntur. Unde fit, ut Wolfius pulchrum et utile confundat. Praeterea ex his principiis non recte definiri potest, quid intersit inter pulchrum et bonum verumque. Neque Baumgartenius pulchrum apposito verbo „phaenomenon“ satis perspicue a vero distinguit, cum ea voce elegantia tantum

elocutionis significetur. Multo magis e Baumgartenii fundamentis necesse est consequatur, pulchrum a vero solum gradu, non specie diversum esse. Illud enim: „ex nocte per auroram meridies“ indicare videtur, a cognitione sensitiva (i. e pulchritudine), qua confuse rerum perfectiones percipiamus, surgendum esse ad cognitionem distinctam, qua perfectiones rerum intellegimus luculente (i. e. ad veritatem.[6]) — Apparet igitur, Baumgartenium propriis Wolfianae philosophiae finibus et terminis impeditum fuisse, quominus naturam pulchri objectivam tam clare perspiceret, quam nostri hodie aesthetici. Verum non solum objectivam pulchri naturam, sed etiam subjectivam non plane cognovit. Nam prima quidem definitionis parte dictum est, pulchritudinem nulla alia re nisi ipsa perfectione consistere et, quamvis nemo eam percipiat, cum re perfecta semper conjunctam esse (pulchritudo objectiva). Sed cum Baumgartenius aestheticam dicat non spectare perfectiones, quae judicio intellectuali detegantur, sed eas solas perfectiones, quae cognitione sensitiva percipiantur, altera definitionis parte pulchritudinis campum arctioribus circumscribit finibus dicens, non omnes perfectiones pulchras esse, sed solas perfectiones gustui latius dicto observabiles, judicio sensitivo perceptas. Minime vero licet dicere, Baumgartenium hac definitionis parte aestheticam reddere plane subjectivam, ut percipientis sit decernere, utrum aliqua res pulchra sit nec ne.[7]) Hoc enim e principiis Kantianis, non Leibnitio-Wolfianis effici potest. Tenendum est, quod supra diximus, ex his principiis perfectionem non posse percipi sensu nisi insit in ipsis rebus. —

Si vero quis accuratius rem pensitaverit, Baumgartenium contra se ipsum his verbis pugnare inveniet. Posuit, perfectum id esse, in quo omnes partes consentirent in unum, in rationem perfectionis determinantem (metaph. §. 95.). Cum autem haec ratio perfectionis determinans non materiae immanens, sed ad materiam aliunde allata sit, ut supra demonstravimus, Baumgartenius dicere non debebat, perfectionem cognitione sensitiva percipi posse. Nam neque distincte neque obscure percipi potest, num res aliqua sit perfecta,

nisi ratio perfectionis determinans antea cognita sit. Quae solo intellectu percipi potest.[8])

Sane Baumgartenius etiam facultates animi superiores aliqua ex parte necessarias esse censet ad pulchrum percipiendum, cum dicat (aesth. §. 74.) „intellectum et rationem moraliter necessario directores omnium pulchre cogitatorum esse debere." Qua ex parte facultates cognoscitivae superiores adjuvent inferiores accuratius exponit alio loco §. 38.: „quatenus I. intellectus et ratio per imperium animae in semet ipsam multum non raro conferunt ad excitandos facultates inferiores; II. consensus harum et apta pulchritudini proportio saepe nonnisi per intellectus et rationis usum obtinetur; III. magnae vividitatis in analogo rationis consectarium spiritui naturale est pulchritudo intellectus et rationis, perspicientiae nexus extensive distinctae." Et §. 12. „I. imperium in facultates inferiores poscitur. . . . III. facultates inferiores non, quatenus corruptae sunt, excitandae confirmandaeque sunt aestheticis, sed eisdem dirigendae, ne sinistris exercitiis magis corrumpantur, aut pigro vitandi abusus praetextu tollatur usus concessi divinitus talenti." E quibus Baumgartenii verbis apparet, facultatibus cognoscitivis superioribus nihil aliud efficiendum esse, nisi ut inferiores et excitent et dirigant. Non igitur intellexit, quod supra posuimus, rationem perfectionis determinantem prius in animo esse debere, quam ipsa perfectio percipi possit.

Postquam Baumgartenium facultatibus animi inferioribus eam perceptionis vim vindicare demonstravimus, quam habere non possunt, jam accuratius nobis quaerendum est, quo jure omnino facultates cognoscitivas inferiores esse velit aestheticas i. e. facultates, quae pulchrum et percipiant et efficiant. Et primum quidem exponenda sunt ea, quae facultatibus inferioribus contineri velit. In his numerantur dispositiones naturales hae (§. 30.—37.):

I. acute sentiendi §. 30.

II. disposito naturalis ad imaginandum §. 31.

III. d. ad perspicaciam, qua suggerenda per sensum et phantasiam (30,31) acumine et ingenio quasi

poliantur (cf. per has facultates et pulchritudo cognitionis, quatenus proportionis phaenomena poscit, et proportiones phaenomena non admittit, et ipsa pulchra ingenii latius dicti proportio praestanda est).

IV. memoria §. 33.

V. dispositio poëtica §. 34.

VI. disp. ad saporem non publicum imo delicatum, qui cum perspicacia sensorum, phantasmatum, fictionum e. c. judex inferior sit.

VII. d. ad praevidendum et praesagiendum §. 36.

VIII. disp. ad significandas perceptiones suas.

Mirum est, quod Baumgartenius has dispositiones naturales non ex animi natura deduxit, sed tota disciplina hoc quidem loco „in meram aliquam coordinationem ac dispositionem abit“ (quod ipse avertere studet §. 74). Accuratissime demonstraverat, quo jure animo facultates et superiores et inferiores vindicandae essent. Postulandum est, ut eadem diligentia ostendat, quo jure in facultatibus inferioribus eae quas posuit dispositiones naturales numerandae sint. Hoc non factum est, nec fieri potuit. Ne in methaphysica quidem, ubi accuratius de tota psychologia agit, haec res expedita est. Ibi duplicem esse exponit psychologiam, rationalem et empiricam. Psychologia rationalis omnia ea complectitur, quae diversis animi agitationibus motibusque non spectatis a priori de natura animi cognosci possunt; empirica ea, quae spectatis diversis animi agitationibus a posteriori consequuntur. Altera igitur metaphysica quaestione instituta animi naturam cognoscere studet, altera nihil efficit nisi facultatum coordinationem. Unde fit, ut hae duae psychologiae partes inter se repugnent. Psychologia enim rationalis animum simplicem, incorporalem, unum esse demonstrat, empirica contra e varietate et compositione agitationum motuumque animum rem variam et compositam esse efficit. Mirum videtur, quod Baumgartenius (et omnes illius aetatis philosophi) has duas psychologiae tractandae vias, quae ipsis principiis inter se pugnent, hanc justa illam ponere et tam aperte principium omnimodae determinationis neglegere

non dubitavit. Si enim animum rem („ens") esse statuerat, huic rei nullo modo contradictoria attribuere debebat, sed tenendum ei erat, animum aut esse unum et simplicem, aut varium et compositum. Quibus difficultatibus ea re mederi studuit, ut animum unum quidem esse diceret, sed praeditum variis facultatibus et viribus. Ita probari posse persuasum habuit, in animo certa quaedam loculamenta esse, in quae deinceps diversae dispositiones, ut imaginatio, perspicacia, memoria rel. inserendae essent. At vero luculente apparet, Baumgartenium, ut ex angustiis illis sese expediat, ea deverticula easque flexiones quaerere, quae nullo modo certis argumentis defendi possunt, nec quisquam, nisi plane obesae naris, ita difficultates superatas esse putaverit. E quibus angustiis philosophia evadere non potuit, quamdiu psychologia rationali et empirica juxta se posita quaestiones de animo instituerentur, ut de re perfecta, absoluta. Tum demum nodi expediri poterant, cum dialectice philosophi quaerebant, quomodo animus fieret („fiens"), non qualis esset („ens"). —

Ex eis, quae de universa Baumgartenii psychologia diximus, apparet, Baumgartenium dispositiones illas naturales facultatum inferiorum enumerare tantum potuisse, non interno quodam vinculo conjungere. Simul elucet, fundamenta illius philosophiae psychologica plane vaga fuisse eaque, quae non valerent aestheticae vera de contemplationis („Anschauung") natura principia suppeditare. Baumgartenius contemplationis vim non satis perspexit. Nam cognitio aesthetica primum quidem est sensitiva, sed non minus idealis. Perceptio sensitiva in animo excitat motum quendam, quo ipse finium suorum obliviscatur et, cum veram suam libertatem spectet, incredibili quadam voluptate impleatur. Quae voluptas in animo excitata omnibus in partibus sequitur perceptionem sensitivam. Arctissime igitur inter se conjunctae sunt contemplationis natura sensitiva et idealis. Baumgartenius vero ideali natura prorsus fere neglecta sensitivam nimis premit. Sane simile quoddam divinatione quadam conjecisse videtur, ubi loquitur de consensu, qui in rebus pulchris percipitur. Quem consensum, ubi perceptus

est, transire in ipsum animum censere videtur, ita ut etiam in animo consensus quidam existat. Sed accuratius de ea re infra exponemus. —

Quam vaga fundamenta Baumgartenii psychologica sint, etiam alio modo intellegitur. Propriam et primariam facultatum inferiorum naturam ea re consistere demonstrat Baumgartenius, quod eis res percipiantur obscure et confuse vel indistincte, notae singularum rerum non percipiantur.[9]) Non vidit hac in re Baumgartenius, etiam facultates inferiores habere magnam quandam distinctionem. Nam ipsis sensibus, quos in sensitiva cognitione summas agere partes nemo negat, res haudquaquam semper confuse et indistincte percipiuntur, sed prorsus distincte percipi possunt. Sane concedendum est, hanc sensuum distinctionem aliam esse atque intellectus et rationis. Tamen est aliqua distinctio. Simile quoddam ipse B. intellexisse videtur, cum primo loco in facultatibus inferioribus dispositionem acute sentiendi numeret. Prorsus vero sibi ipsum non constare in tertia cognitionis sensitivae parte elucet, quam dispositionem ad perspicaciam esse vult, qua suggerenda per sensum et phantasiam acumine et ingenio quasi poliantur. Quod quomodo facultatibus animi inferioribus effici possit, non intelligitur, sed intellectus et rationis est. Omnino negari non potest, Baumgartenium cognitione sensitiva eas animi facultates complecti, quae non tam inferiores quam superiores esse videantur. —

Sed omissa hac tota quaestione, quo jure Baumgartenius earum facultatum quasdam dicat inferiores, ea ipsa re, quod inferioribus pulchrum percipi censet, aliis implicatur difficultatibus. Ex fundamentis enim aestheticae efficitur, quod jam supra diximus, pulchrum a vero solum gradu, non specie diversum esse. Itaque cum unicuique id agendum sit, ut quod confuse perceperit etiam distincte cognoscat intellectu, pulchritudini finis imponitur, si res jam non sensibus, sed intellectu cognita est. Minime vero Baumgartenius intellectui pulchritudinem tribuere debebat: pulchritudo enim est sensitivae cognitionis.[10]) — —

Postquam Baumgartenium altera via, qua in pulchri natura exponenda progressus est, secuti vidimus, quomodo facultates animi inferiores percipiant pulchrum, jam considerandum nobis est, quatenus earum auxilio pulchrum effici dixerit.

Initio libri breviter universo aestheticae fine et generalibus pulchritudinis definitionibus propositis §. 28 transit Baumgartenius „ad dilineandam aliquam genesin et ideam pulchre cogitaturi". Deinde per totum librum versatur in praeceptis dandis ad pulchrum efficiendum. Sed adnotandum est, Baumgartenium minime tam accurate quam nos distinguere inter cognitionem et effectionem pulchri; multo magis toto libro modo hanc, modo illam spectat et promiscue de utraque verba facit. Cognitionem quidem pulchri i. e. rationem, qua pulchrum aut percipiatur aut percipi debeat eum maxime spectasse, id ipsum totius disciplinae nomen (αἰσθάνομαι, αἴσθησις, αἰσθητική) demonstrat, quod a perceptione subjectiva repetitum est. Sed non minus etiam effectionem pulchri videtur spectasse, cum in legibus de ea re ferendis per totum fere librum versetur.

Primum proponit naturam ingenii venusti. Si omnia, quae de ea dixit, circumspicimus, ingenium venustum id esse invenimus, cujus facultates cognoscitivae inferiores et facile excitentur et superioribus recte dirigantur. Ingenium venustum efficit pulchrum excitatis facultatibus inferioribus. Si Baumgartenius omnia, quae inde consequuntur, accurate persecutus esset, hac via eo ductus esset, ut pulchrum deduceret ex imaginationis vi fingendi. Quominus hoc faceret finibus philosophiae Wolfianae impeditus est. Sed accurratius exponendum est, quomodo Baumgartenius pulchrum ingenio pulchro effici censeat. Primum refutanda est eorum sententia, qui Baumgartenium, si sibi constitisset, hac via necessario ad subjectivum Kantii idealismum perventurum fuisse opinentur.[11]) Baumgartenius enim non videtur censuisse, ingenium venustum solum e se ipsum haurire et procreare pulchrum, ut prima et unica pulchritudinis origo in animo artificis sit, sed multo magis persuasum habuisse, tam demum ingenium

pulchrum et pulchre cogitare et, quae pulchre cogitaverit, arte exprimere posse, si antea cognitione sensitiva pulchrum in rebus pulchris perceperit.

Quod ex his locis consequitur: „§. 30: ad ingenium venustum requiritur dispositio acute sentiendi, ut anima nanciscatur primam pulchre cogitandi materiam sensibus externis." Et §. 31: „dispositio naturalis ad imaginandum, qua ingenium venustum fit *εὐφαντασίωτον*, quia I. saepe praeterita pulchre cogitanda sunt II. praesentia saepe praetereunt ante, quam absolvatur pulchra eorundem cogitatio; III. non ex solis praesentibus, sed et praeteritis futura cognoscuntur." Quibus verbis apparet, ingenium venustum tum demum pulchre cogitare posse, si materiam pulchre cogitandi perceperit antea et repraesentationes ita perceptas vi imaginationis (reproductiva) ad libitum excitare possit. Pulchrae igitur cogitationes causam in ipsis rebus perceptis habent. Quam causam spectet Baumgartenius, conjicere licet e libris philosophorum illius aetatis de arte poëtica scriptis. Cum enim ei omnes dicerent, artifici quam accuratissime naturam imitandam esse, Baumgartenium eandem quidem sententiam probasse verisimile est, sed ita circumscripsisse videtur, ut non totam naturam, sed solas perfectiones naturae imitandas esse censeret. Totus igitur ordo hic esse videtur: animus percipit res perfectas; cum in eis consensus quidam omnium partium percipiatur, hoc ipso consensu quasi inficiuntur facultates cognoscitivae inferiores, ut vel in eis consensus existat repraesentationum. Quod eo magis fit, quo magis ipsae facultates animi inferiores natura conspirent inter se et imperfectiones, quae percipiuntur, opprimere possint[12]). Cum consensu animo innato perfectiones rerum perceptarum in animo conservatae sunt, imperfectiones oppressae, cumque in imagine consensus quidam effectus est, tum eam artifex in aspectum lucemque profert, ut ipse consensus etiam ab aliis percipiatur.

Dixerit quispiam, Baumgartenium non hoc ordine singulas, quas dedit de pulchri natura notiones conjunxisse, sed a definitionibus de pulchro universo propositis abrupte transire ad ingenium venustum. Non negamus: contra nobis

concedendum erit, non alio ordine diversas notiones conjungi posse, cum necesse sit ea, quae de ingenio venusto dixit, suppleantur et explicentur ex eis, quae antecesserant.

Quodsi ea, quae de efficiendo pulchro diximus, complectimur, eandem fere sententiam de ea re Baumgartenius protulisse videtur atque aesthetica hodierna.[13] Haec enim imaginationem percipere pulchrum imperfectum in mundo expressum statuit, deinde imaginem ita perceptam comparari cum singulari illa summae perfectionis specie naturae lege animo informata (idea) et ea, quae ideae respondeant, augeri, quae ab ea abhorreant, auferri. Tum demum ingenium venustum (artificem) aliquid, quod perfecte pulchrum sit, proponere posse (efficere phaenomenon). Sane negari non potest, tale quoddam divinatione quadam obscura Baumgartenio obversatum esse; sed non licet omittere, propriis philosophiae suae terminis eum prohibitum fuisse, quominus rem clare perspiceret. Ut pauca tantum commemoremus, quis non videt, eum non exposuisse, unde animus primam pulchri materiam peteret, utrum a mundi perfectione necne? Deinde eandem vim, quam hodierna aesthetica imaginationi esse demonstrat, ille facultatibus animi sensitivis vindicat. Denique, quod summum est, Baumgartenius veram ideae naturam nondum cognovit, qua sola fit, ut imaginis perceptae perfectiones augeantur, imperfectiones auferantur. Sane consensu illo facultatum inter se interno simile quoddam effici censet, sed non satis luculente apparet, quomodo id fieri possit.

Haec fere sunt capita Baumgartenianae aestheticae. —

II.

Restat, ut altera dissertationis partes examinemus, quomodo Baumgartenius eis ipsis fundamentis, quae jecit, praecursor et quasi dux aestheticae tum Kantianae tum hodiernae factus sit. Ita luculentissime apparebit, quam bene de Germanorum aesthetica meruerit.

1. Kantius aestheticam proposuit eo libello, quo facultatem judicandi examinat. Totus ille liber duas continet partes, quarum altera complectitur quaestiones de facultate aesthetice

judicandi institutas, altera de facultate teleologice judicandi. Ad eam quaestionem, quam nobis proposuimus, sola pars prior pertinet. Quae eadem in duas divisa est sectiones, alteram analyticam, alteram dialecticam. Cum nostrum non sit, totam Kantii aestheticam exponere, eam tantum partem afferemus, e qua Baumgartenium ejus praecursorem et ducem fuisse appareat. Quod quidem luculentissime ex analytica pulchritudinis apparet.

Kantius aestheticam interponit inter philosophiam theoreticam et practicam ita, ut quasi vinculum sit inter illas.[14]) Nam philosophia critica invenerat, intellectum (theoreticum) et totum principiorum naturalium campum immenso intervallo disjunctum esse a ratione (practica) et toto principiorum libertatis campo. Si hae duae animi facultates nullo modo inter se conjungi possent, ita ut intellectus rationi, natura libertati, facultates animi theoreticae (cognoscitivae) practicis (appetitivis) repugnarent, animus non esset unus. Sed ab initio Kantius totam philosophiam criticam ita instituerat, ut haec conjunctio fieri posset, cum naturam libertati non adjungeret, sed subjungeret.[15]) Legibus libertatis a ratione latis (moralibus) natura formanda et fingenda est, ratio principatum teneat et in intellectum dominetur necesse est. Cum vero ostendere studeat, naturam huic moderamini rationis obedire, ipsa disputatione Kantius eo deducitur, ut naturam instructam esse ponat rationi (practicae) aptam et accommodatam. Si Kantius accuratius hanc rem examinasset et propriis suae philosophiae principiis non totus vinctus fuisset, fieri poterat, ut hac via progrederetur ad cognoscendam ideam naturae immanentem. Sed neglecta hac via Kantius totam quaestionem in partem subjectivam vertit et propriam causam non repetit e natura, sed e nobis ipsis. Itaque intellectum cum ratione conjungi facultate judicandi putat, ita ut in animo tres facultates sint, intellectus, vis judicandi, ratio. Hoc modo notissima illa charta fit, qua juxta animi facultates principia a priori, quae illis respondeant, posita sunt. Nostrum non est exponere, quo jure Kantius facultatibus animi notiones illas vindicet: spectanda

nobis est media tantum animi facultas i. e. vis judicandi. Vis judicandi in universum est ea facultas, qua efficitur, quomodo singulae res generalibus legibus contineantur. Si generale aliquid (lex, regula, principium) propositum est, tum facultas judicandi est *constituens* („bestimmend"); contra si singulare aliquid propositum est, tum facultas judicandi est *considerans* („reflectierend"). Facultati judicandi constituenti principium propositum est ipsa generali lege. Sed ea judicandi facultate magna naturae pars non definiri potest. Ne igitur haec tota pars aliena sit animo, aliud principium a priori inveniendum est, quod eas complectatur. Quod quidem fit facultate judicandi *considerante* et hoc principium a priori est *forma finalis*. Haec forma finalis duplex est. In unaquaque re quaerimus, utrum intellectui conveniat universo an nostro, utrum finem persequatur generalem an nostrum. Illic quaerimus, num res omnibus ex partibus conveniat cum notione (idea) rei antea intellectu cognita (*forma finalis objectiva*): quod fit *facultate teleologice judicandi*. Hic quaerimus, num certa res finem assequi videatur, qui est in nostro intellectu (*forma finalis subjectiva*), ita ut tota quaestio non pertineat ad veram rerum naturam, sed ad eam tantum formam, qua appareant nobis. Si vero ipsius formae alicujus apprehensio, cum notio rei antea non sit in animo, consensu quodam interno convenit cum nostro intellectu, existit in nobis voluptas: quod quidem fit *facultate aesthetice judicandi*. Eae res, quae in nobis hanc voluptatem excitent, imo potius judicia, quae tali modo oriantur, sunt *pulchra*.

Propriam pulchri naturam Kantius quatuor logicae praedicamentis, qualitate, quantitate, relatione, modalitate accuratius definit;

I. *qualitate*: pulchrum id est, quod voluptatem excitat nullo studio turbatam. —

II. *quantitate*: pulchrum id est, quod, quamvis non cognita sit notio, omnibus placeat. —

III. *relatione*: pulchrum id est, in quo forma finalis

quaedam (forma finalis sine fine) esse videatur, quamvis ignoremus, qui sit iste finis. —

IV. modalitate: pulchrum id est, quod sensus communis opera necessario omnibus placet.

Si igitur omnes has pulchri notiones complectimur, Kantius hanc pulchri definitionem ponit: pulchrum id est, quod in omnibus, quamvis notione antea non cognita, sola forma necessario voluptatem efficit nullo studio turbatam.

Breviter adumbrata Kantiana aesthetica facile elucebit, quibus locis Kantius humeris institerit Baumgartenii et ea, quae ille effecerat, aut sustulerit aut conservarit et elevarit. —

Quodsi breviter complectimur, qua potissimum re aesthetica Kantiana differat a Baumgarteniana, summa haec est: Baumgartenius pulchrum metaphysice deducit i. e. pulchritudinis causam in ipsis rebus esse ponit; contra Kantius pulchrum psychologice deducit i. e. pulchritudinis causam non in ipsis rebus esse ponit, sed in libero facultatum animi lusu. Inde intellegitur, Kantium omnes notiones objectivas e definitione pulchri Baumgarteniana sustulisse, et totam aestheticam vertisse in partem subjectivam. Inde simul consequitur, quo usque Kantius Baumgartenium ducem sequi potuerit.

Primum Kantius demonstrat, facultates animi aestheticas ab intellectu et ratione non gradu, sed specie diversas esse: multo aliud esse, facultatibus cognoscitivis aut confuse (B. sensitive) aut distincte percipere aliquid, atque in ea ipsa perceptione voluptate affici. Qua in re multum profecit Kantius, quod ita verum a pulchro accurate distinxit et pulchri campum plane sui generis esse demonstrat. — Baumgartenii fundamenta, cum hoc loco a Kantio sublata sint, alio quodammodo conservantur. Kantius enim, ubi de quantitate judicii aesthetici agit, pulchrum id esse dicit, quod omnibus, notione antea non cognita, (non adhibitis categoriis logicis) placeat. Quiddam simile etiam Baumgartenius intellexerat, cum diceret, perfectionem, quae confuse vel indistincte percepta esset, pulchram esse. Nam cum (metaph. §. 510.) exponeret, eum qui „confuse aliquid cogitaret, ejus

notas non distinguere", eum notionem rei non habere dicere videbatur. Sic non plane eandem quidem sententiam expressit, sed proxime ad eam accessit. — Deinde demonstrat Kantius, judicium aestheticum voluptatem quandam in homine efficere, quae quidem non objectivam, sed subjectivam vim habeat in omnes. Aestheticum animi affectum cum omnibus ea de causa communicari posse censet, quod sequatur rei apprehensionem (contemplativam) et simul antecedat rei cognitionem perfectam. Hic affectus positus est inter imaginationem res percipientem et intellectum res cognoscentem et consensu eorum non logico, sed fortuito (inconsulto), libero eorum ludo gignitur. Qui affectus cum non singulorum hominum, sed totius generis humani sit, est communis. — Similem sententiam jam Baumgartenius proposuisse videtur, cum dicat, consensum, qui sit in rebus, ubi ab homine percipiatur, etiam consensum quendam in animo efficere et „delectare intuentem". Sed hac re inter se differunt, quod Baumgartenius ejus voluptatis causam in rebus ipsis positam esse demonstret, Kantius vero non exponat, quid sit, quod liberum illum facultatum cognoscitivarum lusum, quo delectamur, efficiat.

Luculentissime vero Kantium eis, quae Baumgartenius cognoverat, ductum esse ex eis apparet, quae de relatione judicii pulchri dixit (§. 15). Ibi haec fere exponit. Forma finalis duplex est, objectiva et subjectiva. Si quae res nobis placet, hoc ea de causa fit, quod consilio (fini) arctificis (eis, quae in ea efficienda artifex egit) respondere videtur. In ejusmodi cognitione igitur ponitur, notionem rei in animo artificis conceptam causam, quae rem effecerit, fuisse i. e. ante rem effectam fuisse notionem rei in animo artificis. Cum hanc rei notionem cognovimus et in contemplandis rebus aut a natura aut arte perfectis invenimus, eas omnibus ex partibus notioni illi respondere, tum rebus attribuenda est forma finalis objectiva. Prima igitur est in intellectu notio rei propria, deinde intuitu res percipitur, denique hae duae partes inter se conferuntur, et si consentiunt inter se, tum res habet formam finalem

objectivam. — Ea ipsa duplex est, aut externa aut interna. Cum enim artifex efficeret rem, aut aliud spectavit, quod ea impetraretur: cui consilio, si res consentanea est, dicitur utilis. Aut artifex rem effecit rei ipsius causa: ac si res ei consilio consentanea est, dicitur perfecta. Si res aut utiles aut perfectas esse cognoscimus, vel ea cognitione excitatur in nobis voluptas quaedam, non aesthetica, sed intellectualis. Nam in intellectu antea propria rei notio esse debet, tum demum de utilitate aut perfectione dijudicari potest. Hic Kantius luculentis verbis contra Baumgartenium ducem pugnat. Censet quidem internam formam finalem objectivam propius accedere ad veram pulchritudinem, sed tamen non esse ipsam pulchritudinem. Omnino totam Baumgartenii definitionem sibi constare Kantius negat. Cum Baumgartenius dicat, si plura simul sumta unius rationem sufficientem constituant, ea consentire, consensum ipsum esse perfectionem et unum, in quod consentiatur, rationem perfectionis determinantem, proponit, consensum omnium partium externum in unum esse perfectionem. — Contra Kantius, eo consensu externo nunquam formam finalem objectivam cognosci dicit, nisi antea fuerit notio rei (ratio perfectionis determinans) in intellectu. Nam cum illud unum non intuitu cognoscatur, in animo nihil esse atque formam finalem subjectivam i. e. formam illam finalem sine fine, solam repraesentationum formam finalem. Objectivam vero rerum formam finalem nequaquam eo modo cognosci posse, et perfectionem objectivam, quae sola forma appareat, esse rem absurdam.[16]) Praeterea Kantius illud Baumgartenii, pulchrum et verum bonumque tantum gradu, non specie diversa esse, refutat, cum hoc propriae animi naturae repugnet. —

Ipse Kantius forma finali subjectiva pulchrum consistere putat, qua voluptas aesthetica, non intellectualis, in animo excitatur. Quae forma finalis subjectiva in ipsa re nullam aliam habet causam atque formam vocis notione pressa, ita ut in re ipsa nihil prorsus cognitum sit. Forma finalis non est in rebus, sed in repraesentationibus. — Nostrum non est, hunc locum Kantianae aestheticae multis exponere,

sed ea quae diximus sufficere videntur, ut intellegatur, quomodo Kantius eis, quae Baumgartenius statuerat, usus sit et eo duce pulchri naturam melius cognoverit, ita ut Baumgartenius praecursor et quasi dux aestheticae Kantianae jure habeatur.

2. Reliquum est, ut demonstremus, cur Baumgartenius praecursor etiam hodiernae aestheticae dicendus sit. Spectamus hoc loco aestheticam objectivi qui dicitur idealismi a Schellingio fundatam, ab Hegelio accuratius exaedificatam, ab eis, qui Hegelium sequuntur, auctam. Quamquam enim etiam ei, qui aliter construxerunt aestheticam, Baumgartenium praecursorem suum vocaverunt, tamen facile est ad demonstrandum, eum praecursoris et ducis nomine praecipue dignum esse, si Hegeliana spectetur aesthetica. Contra omnibus expositis una apparebit, eos prorsus errare, qui totam Hegelianam aestheticam eandem esse dicant ac Baumgartenianam, politiori modo cultu exornatam.

Duplici de causa Baumgartenius praecursor et dux hodiernae aestheticae habendus est. Primum, cum Kantianae aestheticae praecursor fuerit, ea ipsa re etiam hodiernae dux factus est, quippe quae gravissimas de subjectiva pulchri perceptione et de affectu aesthetico partes ex illo conservarit. Deinde vero, quod nostri aesthetici ipsas Baumgartenii quaestiones conservarunt et elevarunt. Cum illud per se appareat, hoc tantum accuratius persequemur.

Saepius in exponenda Baumgartenii aesthetica commemoravimus, inveniri in ea vestigia, e quibus facile conjici possit, Baumgartenium pulchri naturam tam perspicue cognovisse quam nostros hodie aestheticos. Sed simul demonstravimus, eum ipsis Wolfianae philosophiae finibus prohibitum fuisse, quominus id facere posset. Contra negari non potest, nonnulla, quae Baumgartenius non tam perspexit, quam divinavit, quae libro suo indistincte et vage proposuit, ab hodiernis aestheticis suscepta et diligentius explicata esse. Quare recte dici demonstravimus, hodierna aesthetica adumbrationem Baumgartenii vagam et indistinctam perfectam et explanatam et definitionem ejus, uti partim sublata est, ita partim conservatam et elevatam esse. — Jam exponemus eas hodiernae aestheticae partes, quae

huc pertinent: primum objectivam pulchri naturam, deinde subjectivam pulchri perceptionem.

Schellingius primus postulavit, ut unaquaeque res ita consideretur, quatenus in ea idealia et realia absolute conjuncta sint in unum. Eas res, in quibus haec idealium et realium conjunctio absoluta perfectissime cernatur, pulchras esse proposuit. Sed vox perfectionis apud Schellingium aliam habet vim atque apud Baumgartenium. Supra demonstravimus, Baumgartenium non intellexisse, quid interesset inter res utiles et perfectas. Id Kantius luculente exposuit. Idem recte cognovit, perfectionem esse internam formam finalem objectivam. Concedit, facile conjici posse, eam esse ipsam pulchritudinem, sed refutat hanc sententiam ea re, quod antea in intellectu nostro notio rei, consilium, quod artifex in re efficienda habuerit, esse debeat, priusquam dijudicare possimus, utrum res perfecta sit necne. Hoc esse judicium intellectuale, non aestheticum. Kantius recte dixit, si notio ita intellegitur, qualem Wolfius eam esse voluit. Is enim nondum cognoverat ideam, quae materiam penetrat et vi sua format, sed aliunde rei notionem ad materiam adhiberi putavit. Si vero eam Kantiani libri partem spectamus, quo facultas teleologice judicandi examinatur, apparet, eum prope ideam intellexisse jam non formalem, sed materiae immanentem, quae illam effingat, „intellectum archetypum". Jam ei, qui rem percipit, non opus est, notionem rei adhibere aliunde, jam non notio in intellectu antea esse debet. Notio, qua notio, sublata, sed conservata et elevata in idea ipsi rei insita eaque omnibus in partibus cernitur. Idea est principium, quod materiam penetrat, vincit, format, aedificat. Quare, ut idea intuitu et affectu percipiatur, non opus est, ut ab ipsa re secernatur, sed in ipsa re cernitur. Sed Kantius, quod sic cognoverat, plane omisit, neque ullo modo ad judicium aestheticum transtulit. Schellingius primus hanc absolutam idealium et realium conjunctionem pressit eaque pulchri naturam explicare studuit (cf. Bruno). Profectus a natura, in qua omnia vivere demonstravit, primum principium vivendi cognoscen-

dum esse dixit, quo omnia penetrarentur et formarentur. Id principium nullum aliud esse posse atque intellectum archetypum, ideam, quae in ipsis rebus vivat, eas penetret, formet. Eae res, in quibus idea cernitur, pulchrae sunt. Sic Schellingius eodem fere modo pulchrum definire videtur atque Baumgartenius („pulchritudo est perfectio phaenomenon"), sed revera perfectionis vis apud Schellingium alia est atque apud illum. Perfectionem, uti vidimus, vocat Schellingius ideam, quae materiam penetrat, vincit, format et ipsa forma perfecte expressa est.

Hegelius ideam aliquanto verius cognovit quam Schellingius: quod hic postulaverat tantummodo ille necessarium esse demonstravit. Accuratissime et ab ipso et ab eis, qui ab illius disciplina sunt, ex absoluta idea singularum idearum classes deductae sunt, quae cum natura (minus libere) tum animo (libere) appareant, et demonstratum est, ideam absolutam perfecte tantummodo apparere in universitate rerum, singularem ideam eaque una absolutam quamvis imperfecte in singulis rebus. Quod ideae consentaneum est, pulchrum est. Si idea talis intellecta est, jam non licet separare formam et materiam, sed haec duo principia firmissimo vinculo conjuncta sunt. Ceterum materia nec chemice, nec mechanice spectatur, sed solum idealiter, quomodo ideae vis efficiat formam et in omnibus formae partibus cernatur. Quare recte aesthetica hodierna docet, in pulchro solam formam respici. Recte Danzelius[18]) Hegelio opprobrio vertit, quod in pulchro magis substantiam idealem (Inhalt), quam formam spectet. Nam Hegelius non satis pressit, in ipsa forma substantiam cerni („fieri phaenomenon"), id quod hodierna aesthetica, quae ejus principia sequitur, luculentius exposuit. Sed quo jure Danzelius dicat, aestheticam Hegelianam nihil aliud esse nisi Baumgartenianam politiori cultu exornatam, non intellegitur. Sequimur Lotzium et tribuimus Hegelio hac in re debitum honorem.[19]) Satis evidenter exposuisse nobis videmur, Hegelium clarius cognovisse et perspexisse, quod Baumgartenius confusius et magis divinatione quadam ductus posuerat; sed perfectionem illam Baum-

gartenianam plane diversam esse ab idea materiae immanenti, quam Hegelius intellexit, nemo est qui neget. —

Jam subjectiva pulchri perceptio, qualem Hegelius et hodierni aesthetici volunt, proponenda est, ut intellegatur, etiam hac in re Baumgartenio ducis nomen deberi.

Objectum pulchri, (pulchra res) non est per se pulchrum, sed solum intuenti i. e. propria pulchri natura simul poscitur is, qui pulchritudinem percipiat. Quae quidem perceptio aesthetica primum est sensitiva. Non autem omnes sensus sunt aesthetici, sed duo tantum, sensus videndi et audiendi; qui ea de causa pulchrum percipere possunt, quod non mechanice aut chemice penetrant in res, sed in sola rei forma versantur: quod quasi repercutiunt imaginem aut sonum perceptum, omnia alia neglegunt. Unice id quaerunt, quatenus res sit imago, quae ideam adaequet, causam et materiam rei nihil curant. Quod premendum est in natura pulchri exponenda. Pulchrum quasi eximitur e vero rerum nexu et tota natura, cum nihil nisi speciem rerum habeat. — Sed perceptio aesthetica non solum est sensitiva, sed etiam idealis, quod supra jam exposuimus. Haec illa efficitur. Nam perceptio sensitiva in animo excitat motum quendam, quo cum vera libertate sua fruatur animus, incredibili quadam voluptate impletur. Quae perceptio idealis quamvis sensitivam logice sequatur, tamen cum illa arctissime conjuncta est. Idea, quae est in nobis, contemplatur ideam, quae est in re, et hoc modo objectum et subjectum jam non sunt inter se opposita, sed conjuncta in unum. Pulchritudo igitur est ideae cum idea reconciliatio. Hic etiam Kantii quaestiones de affectu aesthetico institutae suum habent locum.

Quodsi jam ea, quae hodierni aesthetici de pulchri perceptione ponunt, cum definitionibus Baumgartenii comparamus, facile intellegitur, quomodo inter se cohaereant. Baumgartenius perfectionem phaenomenon sive gustui latius dicto observabilem pulchritudinem esse demonstrat. Pulchrum percipi vult sensitive, sive facultatibus animi inferioribus. Examinavimus supra ejus de facultatibus inferioribus sententiam et vanam esse totam illam animi divisionem docuimus. Nihil-

ominus negari non potest, Baumgartenium non solum sensitivam perceptionis, sed etiam idealem naturam aliqua ex parte perspexisse, cum delectari eum diceret, qui pulchritudinem intueretur. Itaque non injuria dux et quasi praecursor etiam hodiernae aestheticae vocatur.

Etiam alia proposuit, quae, si verba ejus obscuriora recte interpretamur, proxime accedunt ad hodiernorum aestheticorum doctrinam. Sic, ut hoc unum tantum commemoremus, Baumgartenio illo loco, ubi „perfectiones adeo reconditas, ut nonnisi intellegendo possint detegi, non curare dicit aestheticum qua talem“, illud videtur obversatum esse sensuum aestheticorum proprium, quod in pulchro solam formam respiciunt, nec mechanice nec chemice in res penetrant: id quod ab hodiernis demum aestheticis clarius intellectum est. — —

Jam vero manum de tabula! Nam satis luculente ex omnibus, quae diximus, intellegitur, Baumgartenium, uti primus quid sit et agat aesthetica, exposuit, ita duas pulchri partes et objectivam et subjectivam adumbrasse; Kantium vero suscepisse hanc, neglexisse illam; hodiernos denique aestheticos et hanc et illam pariter complexos esse, recte perspexisse, arctissime conjunctas excoluisse, ita ut jure aestheticae in formam disciplinae redactae parens et auctor habeatur Baumgartenius.

Annotatio.

[1]) Inprimis in Helvetia erant, qui de pulchri natura philosopharentur. In his nominandi sunt Bodmer et Breitinger, qui actis diurnis ab ipsis institutis „Discurse der Maler“ multa de pulchri natura inserebant. Cum deinde philosophiam Leibnitio-Wolfianam cognovissent, principia ejus secuti librum scribere sibi proposuerunt, quo exsurgerent ad fontes pulchritudinis et exponerent philosophicum de pulchro systema. Inscripserunt huic libro: „Von dem Einfluß und Gebrauche der Einbildungskraft zur Ausbesserung des Geschmacks; oder: Genaue Untersuchung aller Arten Beschreibungen, worin die auserlesensten Stellen der berühmtesten Poeten unserer Zeit mit gründlicher Freiheit beurtheilt werden.“ Cujus libri primam tantum modo partem ediderunt, („von dem Einfluß und Gebrauch der Einbildungskraft zur Verbesserung des Verstandes“). Maxime verisimile est, Baumgartenium in elaboranda aesthetica Bodmeri et Breitingeri libros cognovisse et aliqua ex parte fructum ex eis percepisse. —

Non mediocriter etiam id aestimandum est, quid meruerit Gottsched de ea re libro „Versuch einer kritischen Dichtkunst für die Deutschen“ (cf. Danzel, Gottsched u. seine Zeit). Danzel demonstrat toto libro, Gottschedium omnes de arte poetica regulas a priori deducendas esse a natura mentis humanae censuisse. —

[2]) Baumgarten, sciagraphia encyclopaediae philosophicae §. 5.: „Hinc praemissa philosophia generali . . . de scientia cognitionis in genere sive gnoseologia (logica latiori significatu) agendum est in hoc primo capite.“ — §. 7.: „Gnoseologia est scientia cognitionis tam cogitandae quam proponendae, philosophiae organicae pars potior. Quia omnis cognitio vel sensitives est, vel intellectualis, erit secentia I. sensitivae, II. intellectualis. Prior est aesthetica.“ —

[3]) M. Mendelssohn, vermischte Schr. Bd. IV., S. 314: „Uns dünkt, daß der Erfinder dieser Wissenschaft der Welt nicht alles geliefert habe, was seine Erklärung des Wortes Aesthetik verspricht. Die Aesthetik soll eigentlich die Wissenschaft der schönen Erkenntniß überhaupt, die Theorie aller schönen Wissenschaften und Künste enthalten; alle Erkläungen und Lehrsätze derselben müssen daher so allgemein sein, daß sie ohne Zwang auf jede schöne Kunst insbesondere angewendet werden können. Wenn man z. B. in der allgemeinen Aesthetik erklärt, was erhaben sei, so muß sich die Erklärung sowohl auf die erhabene Schreibart, als auf den erhabenen Contour in der Malerei und Bildhauerkunst, auf die erhabenen Gänge in der Musik und auf die erhabene Bauart anwenden lassen, denn alle diese Künste haben ihren niedrigen, mittelmäßigen und erhabenen Styl. Erklärt man, was die Schönheit in den Gegenständen sei, so muß diese Erklärung einer allgemeinen algebraischen Formel gleichen, zu welcher

man nur noch einige Bestimmungen hinzu zu thun hat, um die verschiedenen Arten der Schönheit in den Gedanken, den Figuren, Linien und Bewegungen, und endlich in den Tönen und Farben näher erklären zu können. Dieses fordert man mit Recht von einer Aesthetik, von einer Theorie der Schönheit überhaupt.

Betrachtet man aber die Aesthetik des Herrn Prof. Baumgarten . . ., so scheint es, als wenn man bei der ganzen Einrichtung des Werkes bloß die schönen Wissenschaften, d. i. die Poesie und Beredsamkeit zum Augenmerke gehabt hätte. Nicht nur alle Beispiele sind aus diesen entlehnt (welches gewiß unschicklich ist, wenn die Grundsätze und Erklärungen allgemein sein sollen), sondern der ansehnlichste Theil der abgehandelten Materien bezieht sich offenbar bloß auf die Poesie und Beredsamkeit, und wo die Erklärungen irgend ja allgemein sind, da zeigt es sich mehrentheils, daß sie nur in Absicht auf diese Gattung die Fruchtbarkeit haben, welche man sich von den Erklärungen eines Baumgarten versprechen kann, in den übrigen schönen Künsten aber von keinen erheblichen Folgen sind." —

Vischer, Aesthetik I., 5.: „B. hat nur Poetik und Rhetorik in damaliger Weise, nur elegantia cognitionis (§. 29.) im Auge: er verlangt zwar ingenium als disp. naturalis ad imaginandam (§. 31.), aber er denkt nur an zierliche Ausschmückung eines Gedankengehalts." —

Lotze, Geschichte der Aesthetik, S. 4.: „. . . noch mehr bleibt sie hinter dem, was wir jetzt von gleichnamigen Darstellungen erwarten, durch die Beschränktheit ihres ästhetischen Gesichtskreises zurück. Weder die Schönheit der Natur, noch Werke der bildenden Kunst haben zu dieser Untersuchung angeregt, Redekunst und Poesie des Alterthums, selten die der neueren Völker geben ihr die Veranlassungen ihrer Fragen und die Erläuterungsbeispiele zu ihren Antworten." —

[4]) cf. B. metaphys. §. 521.: „Repraesentatio non distincta sensitiva vocatur. Ergo vis animae meae repraesentat per facultatem inferiorem perceptiones sensitivas." Non recte igitur Vischerus dicit, Baumgartenium non intellexisse, quid intersit inter repraesentationem vel imaginationem et cogitationem. cf. p. 5.: „B. fühlt, sich selbst widersprechend, den Gegensatz zwischen repraesentatio oder imaginatio und cogitatio nicht, und man darf daher eine solche Theorie der Anschauung, wie sie sich zur Phantasie erhebt, nicht bei ihm suchen."

[5]) Inde multi manaverunt errores. Cum multi censerent, Baumgartenium scripsisse, poëma esse orationem perfecte sensitivam, inde efficere studebant, quae nullo modo effici possunt. Sane mirum est, quomodo homines doctissimi hanc retinere potuerint sententiam, quamvis B. praefatus metaphysicam (§. 48.) aperte eam refutatas sit. Ibi dicit: „Dixeram in prima quam edidi dissertatione, poëma sensitivam orationem perfectam. Vere dictum adhuc puto. Fuit autem, qui scriberet, me dixisse poëma oratio-

nem perfecte sensitivam, et deinde significatum perfecti jam inter philosophorum ipsos pueros notissimum detorqueret in vulgarem illum, quo perfecte pro omnino vagis sermocinationibus aliquando substituitur. Significatum sensitive ipse expresse fixeram. Longe tamen alium affingit huic vocabulo bonus vir, quo Germani nonnunquam crassa vel pingui Minerva turpiuscule vel etiam obscenius dicta per jocum ajunt oppido sensitiva.“ Nihilominus etiam post id tempus multi Bi. definitionem convertunt: „ein Gedicht ist eine vollkommen sinnliche Rede.“ Sic ab Herdero incogitantius dictum est: „Poesie ist also vollkommen sinnliche Rede. In so viel Sprachen ich Erklärungen der Poesie kenne, so finde ich in keiner bündigere und reichere Worte, als in die Baumgarten sie, wie einen Edelstein in die feinste Einfassung, festgestellt hat!!“ Etiam M. Mendelssohn primum quidem non recte Bi. sententiam intellexit, cum in bibliotheca literarum pulchrarum (I. 244.) e falsa interpretatione definitionis deducere studeat, quid intersit inter poeticam et rhetoricam. Paulo post autem convertit illam definitionem jam non „vollkommen sinnliche Rede“, sed „sinnlich vollkommene Rede“, sive „eine sinnliche Rede, die vollkommen ist.“ Jam aliter discrimen poeticae et rhetoricae deducit e fine earum artium: „Der Hauptzweck der Dichtkunst ist, durch eine sinnlich vollkommene Rede zu gefallen, der Beredsamkeit aber, durch eine sinnlich vollkommene Rede zu überreden.“ —

[6]) Wolfii notionem perfectionis luculente exposuit Erdmann (Versuch einer wissenschaftlichen Darstellung der Geschichte der neuern Phil. II. Bd., S. 351.): „In der Ontologie hat Wolf ausführlich den Begriff der Vollkommenheit erörtert. Ganz übereinstimmend mit Leibnitz hatte er dort die Vollkommenheit als eine Zusammenstimmung in der Verschiedenheit, oder als eine Einheit verschiedener gefaßt. Wenn er nun weiter die Zusammenstimmung als das Streben nach einem Ziele definiert und alle Beispiele, deren er sich bedient, die Kategorien des Zweckes in sich enthalten, so erscheint die Uebereinstimmung mit Leibnitz vollkommen. Allein es läßt sich sogleich vermuthen, daß der, welcher nicht geruht hatte, ehe er den Satz des zureichenden Grundes auf den Satz der Identität zurückgeführt hatte, auch den Zweck, der ja bei Leibnitz mit dem Grunde zusammenfiel, auf denselben Satz reducieren werde. Dies geschieht auch wirklich, und das Zusammenstimmen zu einem Zweck wird sehr bald bei W. zur bloßen Uebereinstimmung.“ —

[7]) M. Mendelssohn, qui pluribus locis Bi. definitiones subobscuras exposuit et illustravit, etiam hoc loco recte ejus sententiam exposuisse videtur: (cf. über die Harmonie der Schönheit. Bd. IV., S. 49.). „Da die Schönheit eine unmittelbare Empfindung ist, die nicht von unsern Vernunftschlüssen abhängt, so findet auch in Ansehung derselben kein Irrthum, kein Vorurtheil Statt. Was irgend einem Menschen gefällt und schön dünkt, muß einen Grund des Wohlgefallens enthalten, muß

Eigenschaften besitzen, die wenigstens diesem Subjecte angemessen sind und der Mischung seiner Fähigkeiten eine angenehme Beschäftigung darbieten. Wenn auch jemand einem Gegenstande, der diese Eigenschaften nicht besitzt, sie aus Irrthum oder Vorurtheil zuschriebe, so würde doch das Vorurtheil nicht das Phänomen der Schönheit erzeugen können. Ueberhaupt hat alle sinnliche Erkenntniß die untrüglichste subjective Wahrheit, und da dieses auch von der Schönheit gilt, so läßt sich davon auch mit Gewißheit schließen, daß der Gegenstand, der diese subjective Erscheinung wirkt, auch die dazu erforderlichen Eigenschaften, wenigstens in Bezug auf dieses Subject, besitzen müsse. Der alleraus-schweifendste Geschmack hat einigen Grund in dem Gegenstande. Die Dinge haben verschiedene Seiten, aus denen sie betrachtet werden können. Es kommt auf Gewohnheit, Uebung, angeborne und erworbene Fähigkeit . . an. Und nach diesem Gesichtspunkt richtet sich Schatten und Licht des Gegenstandes, und auch unser Urtheil von seiner Schönheit oder Häßlichkeit." —

[8]) §. 15.: „Perfectiones . . . adeo reconditas, ut . . . nonnisi intellegendo possimus eas intueri, non curat aestheticus qua talis." — §. 16.: „Imperfectiones . . . adeo reconditas, ut . . . nonnisi judicio intellectuali possint detegi, non curat aestheticus qua talis." —

[9]) Metaph. §. 510.: „confuse aliquid cogitans ejus notas non distinguit, repraesentat tamen seu percipit. Nam si notas confuse repraesentati distingueret, quae confuse repraesentat, distincte cogitaret: si prorsus non perciperet notas confuse cogitati, per eas confuse perceptum non distinguere valet ab aliis. Ergo confuse quid cogitans quaedam obscure repraesentat." —

[10]) Metaph. §. 637.: „Intellectus minimus esset, qui nonnisi unici minimi paucissimas notas minime claras, maxime debiles inter perceptiones praevias et socias heterogeneas distingueret. Quo ergo plurium, quo majorum, quo plures, quo clariores notas, quo fortiores inter praevias distinguis intellectus, hoc major est. Perfectio intellectus notas intensive distinctas formandi est profunditas, et major profunditas puritas. Perfectio ejusdem notas extensive distinctas formandi est intellectus pulchritudo. —

[11]) cf. Vischer, Aesthetik Bd. I., S. 6. —

[12]) §. 30.: ut facultas sentiendi conspiret olim reliquis, tanta sit ingenio venusto, quae non semper et ubique, suis sensationibus quibuscunque, quascunque sit oppressura cogitationes heterogeneas.

§. 31.: ut conspiret imaginatio reliquis aliquando facultatibus, tanta sit ingenio venusto, quae non semper et ubique suis phantasmatibus obscuret reliquas perceptiones omnes naturaliter debiliores singulas singulis imaginationibus etc. etc. — §. 37. —

[13]) cf. Vischer, Aesthetik (Uebergang der Phantasie zur Kunst): „Die Phantasie hebt die Mängel des Naturschönen auf, aber in rein

subjectiver Form, d. h. in einem Bilde, das nur dem Innern des durch Phantasie thätigen Subjectes angehört. Das Schöne ist aber wesentlich Erscheinung, also für ein anschauendes Subject. Die Phantasie muß also ihr Bild zur Erscheinung bringen.

§. 382.: Das Subject hat die Fähigkeit, zugleich mit der Anschauung ein Bild zu erzeugen, das vorher als Möglichkeit oder Urbild in ihm angelegt gewesen sein muß, durch den entsprechenden naturschönen Gegenstand im Innern zur Wirklichkeit gerufen wird, und nun als inneres Richtmaß diesen umbildet, das der Idee Gemäße in ihm erhöht und das Ungemäße ausscheidet, ihn zur reinen Schönheit erweitert und dem Geiste überhaupt als Muster dient, durch das er Schönes und Nichtschönes unterscheidet. In Wahrheit ist demnach das Subject der Schöpfer des Schönen, und die gesammte Naturschönheit verhält sich zu dieser Schöpfung als Object in dem Sinn des Stoffs einer Thätigkeit." —

[14]) cf. Kritik der ästhetischen Urtheilskraft. Einl. I. u. II. —

[15]) cf. a. a. O. Einl. III. —

[16]) Summam totius expositionis K. breviter ita complectitur: „Also wird durch die Schönheit, als formaler subjectiver Zweckmäßigkeit, keineswegs eine Vollkommenheit des Gegenstandes, als vorgeblich-formale, gleichwohl aber doch objective Zweckmäßigkeit gedacht, und der Unterschied, der zwischen den Begriffen des Schönen und Guten, als ob beide nur der logischen Form nach unterschieden, die erste bloß ein verworrener, die zweite ein deutlicher Begriff der Vollkommenheit, sonst aber dem Inhalte und Ursprunge nach einerlei wären, ist nichtig, weil alsdann zwischen ihnen kein specifischer Unterschied, sondern ein Geschmacksurtheil ebensowohl ein Erkenntnißurtheil wäre, als das Urtheil, wodurch etwas für gut erklärt wird." —

[17]) Lotze, a. a. O. S. 188.: „Ihre letzte Entwickelung erreichte die idealistische Denkweise in Hegel. Der Schönheit und der Kunst hat er selbst nur in Vorlesungen, welche die Sammlung seiner Werke veröffentlicht, den Scharfsinn seines mächtigen Geistes zugewandt und dem ganzen seiner längst feststehenden Weltansicht auch dieses Gebiet in großen und sicheren Zügen eingefügt, entschieden aber hat seine Schule in dem letzten Vierteljahrhundert die deutsche Aesthetik beherrscht. Den Anhängern der Schule selbst und den Zeitgenossen der damals mit Spannung verfolgten Entwickelung der Philosophie mag der Unterschied zwischen Hegel und Schelling entscheidend erscheinen; der spätern Zeit wird die Uebereinstimmnng der Grundgedanken mehr in's Auge fallen; am wenigsten wird für den Zweck dieser Darstellung eine Vertiefung in diese häuslichen Angelegenheiten der philosophischen Schulen nöthig sein 2c." —

[18]) cf. Danzel, über die Aesthetik der Hegelschen Philosophie 1844. —

[19]) Lotze, a. a. O. S. 193. —